



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui dies & menses obseruant. xi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

quo d munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam domino Deo suo. Scriptum est enim: Vouete & reddite domino Deo vestro. Nouimus siquidem quanta dominus antiquo populo per prophetas suos comminatus est qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant. Si quis hæc transgressus fuerit, fidem perdidit, & est infideli deterior. Et idcirco omni modo à sanctæ Ecclesiæ confortio abscindatur, &, nisi dignè pœnituerit, non recipiatur.

De illis qui dies & menses obseruant. Cap. XII.

Apostolus dicit: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne sine causa laborauerim in uobis. Dies obseruant, qui dicunt puto crastino proficiscendum non est. Post crastinū enim nō debet aliquid inchoari, & sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses, qui cursum Lunæ perscrutantur, dicentes: Septima Luna strumenta confici non debent: nona autem Luna emptum seruum domum duci non oportet. Et per hæc facilius solent aduersa prouenire. Tempora uero obseruant, cum dicunt. Hodie ueris initiū est, & ideo festiuitas est. Et rursus: Postertum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt, cum dicunt Calendis Ianuarij nouus est annus, quasi non quotidie annus impleatur. Hæc superstitio longè debet esse à seruis Dei. Si quis in hac perfidia detegitur, clerici annum unum: laici dimidium pœniteant.

Ex dictis Ambro.

De his qui demonibus immolant. Cap. XIII.

Nam de his qui demonibus immolant Theodori episcopi constitutiones habemus, in quibus scriptum est: Qui immolant demoniis in minimis, annum unum pœniteant. Qui uero in magnis, X. annos pœniteant.

Ex pœnitentiâ Theodo.

De illis qui traditiones gentilium obseruant.

Caput XIII.

Non licet Christianis traditiones gentilium obseruare, uel colere elementa, aut Lunam, aut stellarum cursum, & inanem signorum fallaciam considerare pro domo facienda, & ad coniugia socienda. Scriptum est enim: Omnia quæcūq; facitis in uerbo aut in opere, in nomine dñi nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo. Si quis autem fecerit seuerissimè corripatur, & canonicè pœniteat.

Ex cōcil. Braggay. cap. 20.